


Vol 4

ANTIQUITATUM
BRITANNO - BELGICARUM,
Volumen Quartum;
(Quod Tribus ante editis
eſt Appendix:)

AUCTORE

Guilhelmo Muſgrave
R·S·U·S·

Addam cerea Pruna, & honos erit huic quoq; Pomo;
Et vos, o Lauri, carpam, & te, proxima Myrte;
Sic poſitæ quoniam ſuaves miſcetis odores.
Virg.

Iſcæ Dunmoniorum:

Typis *Geo. Biſhop*; veneunt apud *Joh. March*, Bibliopolam *Exonienſem*, *Guil. Taylor*, & *Joh. Sprint*, *Londinenſes*.
A. D. MDCCXX.



Carissimo Dilectissimoq;

Georgio Musgrave,

Armigero,

Patriæ amantissimo,

Antiquitatū **Brittanno-Belgicarū**

Quartum hoc Volumen,

NEPOTI AVNCVLVS,

Εκ τῶν ἰδίων,

Auctor.

Syllabus Capitum.


NOtum est apud Juris Consultos Axioma [Accessorium sequi naturam Principalium,] *sic, ut si consistet hoc, consistat etiam illud: qua Juris optimi ratione fretus, in* Belgii *nostri lucubratione quæ supersunt, ex eaq; profluunt* τά λειπόμενα καὶ τά ἐπιγεννήματα, *in Appendicem ea conjeci omnia, Quartoq; hoc Volumine publicavi: habet autem illud*

i. *Annales Rerum* Britanno-Belgicarum, *ab earum initio, ad usq;* Romanorum, *ex hac Insula discessum, A. D.* CCCCX.

ii. *De*

iii. *De*





CAP. I.

ANNALES Rerum

BRITANNO-BELGICARUM,

Ab earum initio ad uſq; *Romanorum* ex hac Inſula diſceſſum, A. D. CCCCX.



DILUVIO ad *Gallorum* in *Albiona* migrationem, (quod temporis ſpatium, ob defectum monumentorum, eſt incognitum) Terra hæc inculta, Paludibus abundans; Sylvis, Erica, Vepribus, et Dumetis obtecta, Avium præcipue, cum Quadrupedibus, huc e continente per Iſthmum evagatis, fuit Receptaculum: qua de re vide harum Antiquitatum

Anni ab O.C.	*Ann[illegible] N.C.*
3605	343

Anni ab O. C. | Ante N. C.

tiquitatum Vol. I. Cap. VIII. § I. *Albion* Insula primum ab *Aristotele*, (in, de *Mundo*) dicitur: Ab orbe condito perdiu (sec. *Petavii* ratiocinarium) i. e. per Annorum millia tria cum dimidio, nihil certi de hoc terræ tractu reperitur.

A PRIMO *Gallorum* adventu, ad *Belgarum* in *Britannias* appulsum, Venatu Piscatuq; populus se exercuit, et sustentavit; aut nudo corpore fuit, aut pellibus amicto; *Mercurium* coluit; sine urbibus, sine tectis, sine certo quovis habitaculo, huc illuc erravit; *Guineensibus*, aut *Canadensibus* hodiernis haud absimilis: Deinde, novis *Gallorum* examinibus magnum in numerum crescens, Boream versus se gradatim extendit, et Insulam deniq; totam occupavit: ut in ejusdem Capitis § IV.

BELGÆ, sub *Divitiaco*, *Suessonum* in *Gallia* Rege, transfretantes, non procul a *Vecti* Insula, sæculo ante N. C. sesquialtero, (quo tempore floruit *Pa-*

3798 150 *cuvius*) *Britanniam*, spe Prædæ vel Mercaturæ, invasere, intrare, in meditullium se insinuare; Civitas sui juris, Natio sui nominis in *Britannia* facti sunt; Sacerdotio *Druidum* servientes, eorumq; in dirimendis litibus concilio, in rebus administrandis autoritate usi. Hisce temporibus, *Belgium* Agricolatione,

one, Boum Oviumq; paſtura, Mercimoniis et Venumdatione, locupletatum eſt et divitiis auctum: quibus acceſſit, divitiarum fere comes individuus, Bellum, cum vicinis Nationibus creberrime gliſcens. Ut in § VII. A *Gallorum* appulſu, *Clauſentum* hoc tempore conditum, ſed forma plane *Gallica*. Cap. V. § V. *Anno post O.C.* *ab N.C.*

CLAUDIUS Imp. præmiſſo ingenti 3992 43
(nempe trium Legionum) exercitu, ſub *Aulo Plautio*, *Britanniam* invaſit. *Belgium Veſpaſianus* ſubegit, eaq; re magnitudinis ſuæ Domus fundamentum poſuit. Quædam Civitates a *Romanis* *Cogiduno*, ut cum illis ſtet, donatæ ſunt; unde *Belgium* novis victoribus adalligatur. Vide § VIII.

HOC anno *Regnum*, expulſis ſive conciliatis ejus incolis et conditoribus, occupavere *Romani*, et novis munitionibus auxere. Cap. V. § VI.

AB *A. Plautii* expeditione ea, quæ prima omnium ſub Imperatoris hujus auſpiciis facta eſt, huic Inſulæ *Chriſtianæ* Fidei, quod utiq; probabile eſt, prima Lux effulſit. Hoc cum a nonnullis Paradoxum habeatur, nonnihil infra de ejus probabilitate, cogitato ſcribere conſilium eſt.

A *Romanorum* adventu *Belgæ*, illorum exemplo, militiæ plurimum ſe de-

Anni Post *ab* *O.C.* *N.C.*

dere: quin et iis, in belli re gerenda, auxilium magnopere præbuere. Cap. XIV. § XII.

Ancalites hoc anno a *Romano* exercitu victi, cum *Belgis* coaluere. Cap. V. § VII. *Verlucio*, his diebus ſtatio militaris facta, demum in Urbem evecta eſt.

Scribonius Largus, *Claudii* Medicus, et in hoc Itinere Comes, Balneorum uſum in re medica, ſic, ut alii pleriq; nobiles *Romani*, in exercitu Præfecti, et Tribuni, eorum in deliciis uſum prædicarunt: quæ utiq; prædicatio noſtris Ὕδασι θερμοῖς, ad illorum primam exiſtimationem, uti conjicio, dimanavit.

Ex hac occaſione, ſub hoc tempus, primum *Aquas* haſce adiri, tamquam in mediis *Britanniis Italiæ* delicias; a *Romanis* eas, peragrato domitoq; *Belgio*, frequentari; Sordes amoveri; Aquas alienas averti; ſicq; *Calidas* ad uſum commodiores reddi par eſt opinari.

THERMÆ primum Operariis, in Pagum coeundi, cauſam attulere; deinde Advenis (ſeu Balneationis, ſeu Potationis ergo confluentibus) Pagum hunc in Urbiculam augendi, fontes rebus neceſſariis inſtruendi, ornamentis adornandi: Atq; hæ, ut exiſtimare facile eſt, origines fuere *Aquarum* Urbis *Calidarum*. Cap. VI. § VI.

HIS

Anni ab O.C. | Post N.C.

His circiter diebus, opidulum *Brige*,
quod *Sorbiodunum* et *Clausentum* inter-
jacet, et cujus hodie ne vestigia quidem 41
supersunt, initium accepit: ut et *Cune-
tio*, *Sorbiodunum*, aliæq; passim in *Bel-
gio*, jam a *Romanis* superacto, Urbes.

Tropæum, propter *Ogonem*, *Clau-
dianum* (de quo dedita opera, in Cap.
XVI.) erectum est. Cum hujus monu- 49
menti Inscriptio in Lamina Plumbea
fuerit, suspicari licet id metalli genus
in Collibus Minerariis (*Mendip-Hills*)
vel iis temporibus effodi.

His in *Aquarum Calidarum* Urbe confectis, proclive est opinatu, multos adversa valetudine laborantes, multos otio abundantes, huc confluxisse, deq; morbis, de rebus arduis, de Imperii *Romani* magnitudine, de victoriis per terrarum orbem adeptis, aliisq; id genus coram (uti nunc dierum moris est) inter se contulisse: confluxere præsertim, devicto jamdudum exercitu *Boadiciæ*, *Romani* milites, et de Heroina *Britannica*, ejusq; in pugna fortitudine, sed impari consilio, multa proculdubio fabulati sunt.

Post hocce prælium, fuso jam exercitu *Boadiciæ*, late per *Belgium* omnemq; *Britanniam* meridionalem se *Romani* explicare; *Iscali*q; stationem habuere: quæ deinde Castrum, deinde Urbs evasit.

Iscali

Anni ab O.C.	*Post N.C.*

ISCALI, *Romanorum* hibernaculis, paulo post accessit *Camaletus*: de quo in Cap. XVI.

4020 81 AGRICOLA jam *Britanniæ* Proprætor, multa præclare in *Belgio* egisse, non immerito existimari potest: Unum est, quod illum fortassean Auctorem vindicat, nempe Templum *Minervæ Aquis Calidis* ædificatum. Nam cum *Minervam Domitianus* summo in honore habuit, eamq; (ut *Suetonius* ait) *superstitiose colebat*, utpote se illius Filium haberi cupiens, quid opinabilius, quam in gratiam tristis et severi Imperatoris, hanc Ædem ab eo consummatæ prudentiæ viro fuisse conditam.

NEQUE minus probabile, quin hoc tempore *Minervæ* Numini sacrarentur hæ Thermæ (sec. *Solinum*) ejusq; sub præsidio ponerentur: unde *Aquæ* postea *Palladiæ* dicebantur, et ipsa urbs *Britannice Caer-Palladur*.

NEQUE diu post *Minervæ* in Aquarum præsidio adjunctus est *Hercules*, qui *scientia reperiendi, uniendi, et ducendi Aquas* præstitit: ut de eo *Plutarchus*. Quamobrem manu subinde arundinem gestavit, ut in Nummo videre licet apud ‡ *Fabrettum*: alias lilio lutei coloris,

‡ Vide *Raph. Fabrettum* de Col. *Trajani*, Cap. VI.

Anni ab O.C.	Post N.C.

coloris, cujus ingens in uliginosis locis copia innascitur, insignitus est. *Hercules* Thermis, (* *Athenæo* affirmante) præesse solitus est, et *Minervæ* comes fuit et † adjutrix. Erant hi duo Dii Συμβῶμοι ϗ Συννάοι, et *Aquarum* opera socia curam habuere.

Bustum illud, quod *Andromachen* appellare soleo *Britanno-Belgicam*, his circiter diebus scalptum est, ut ex *Juvenale* et *Plautinæ* Nummo manifestum. Sed de eo fusius Cap. XIV. Minime vero prætereundum, floruisse hoc tempore *Aquas Calidas*, viribus suis præcellentes, et hominum concursu insignitas: neq; de earum celebritate monumentum unquam ullum antiquius, et certius invenio.

Arivogius, *Silur*, hoc tempore floruit, qui tamen Cœnobii *Glastenburiensis* conditor, (quod inepte voluit, in cacatis chartis, egregius ille fabulator, *Capgravius*) nequaquam est habendus. Cap. V. § XII. 82

Contra *Romanos* cum *Silures*, *Arivogio* duce, insurgerent, et *Domitiani* exercitus, (ut ex *Juvenale* colligimus) rebelles subjugatum incederet, Viam ab *Aquis*

* Vide *Athenæi Deipnosoph.* Lib. xii.
† Vide *Pausaniæ Eliar.* Lib. vi.

Anni ab O.C.	Post N.C.	

Aquis Calidis ad *Trajectum* militarem aut primum fieri, vel minimum instaurari conjicio.

83 Hoc confecto Bello fortean e *Glevo* (*Glocester*) octogenarius ille venit Decurio, de quo veteris Frustum Inscriptionis apud *Aquas* exstans, Vol. I. Tab. ii. Fig. 1.

84 His, uti censeo, diebus, perfectum est nobilissimum illud *Quadrivium* ad *Aquas Calidas*; quo in omnem Insulæ plagam commodior itus reditusq; cujus Figuram, in Vol. III. delineatam, exhibuimus: quin et *Sepulcretum* illud, de quo in ejusdem Vol. Capite XI. sub hoc tempus initium accepisse autumo; quando hominum ad Urbem concursus, et sepultura frequens id exigere videatur.

120
121 Hadrianus Imp. anni hujus utriusq; partem in *Britanniis* agens, Fabricam *Aquis Calidis* hoc tempore Sacram statuisse visus est: Rei militaris studiosissimus fuit, eamq; non mandatis solum imperatoriis auxit, sed et Scripto (περὶ Τακτικῆς) ornavit: unde verisimile est, Fabricas a *Trajano* paucis ante annis institutas, hic etiam, ut Ferrum informe et crudum varios in usus aliter aliterq; formetur, ab *Adriano* institui. Ab hac Fabrica tres illius Legiones (tot enim habuit Imp. ille in *Britannia*) armis

mis

mis omne genus, aliisq; inſtrumentis e Ferro neceſſariis, inſtructi ſunt; atque hac, et aliis hujuſmodi artibus *Adrianus* audiit RESTITUTOR BRITANNIÆ. Vide Vol. III. § ix.

Υδατα Θερμὰ, quorum fama per Orbem univerſum jam pervolitavit, a *Ptolemæo*, Literas *Alexandriæ* tum temporis in *Ægypto* profitente, in Geographiæ Lib. VIII. Cap. ii. memorantur, et in Urbibus *Belgicis* cenſentur. 140

INTERFECTIS *Albino* et *Peſcennio*, *Sept. Severus* in *Britanniam* miſit *Virium Lupum*, Proprætorem et Legatum, ut eam ſuo nomine occuparet, viamq; ſibimet, iter in eam meditanti, aperiret: Hinc plurima *Britanniæ*, plurima *Belgio* feliciter evenere. 198

SEVERO contra *Mæatas* exercitum ducente, *Geta* hoc vel præcedenti anno, præficitur auſtrali *Britanniæ*; in qua, *Auguſti* titulo inſignitus, et natura munificus, plurima egiſſe, tanto Imperatore digna, ſummæq; magnificentiæ monumenta poſt ſe reliquiſſe, non immerito credatur. In *Aquarum Calidarum* urbem eum fuiſſe liberalem, teſtatur Equeſtris Statua, cujus hodie Fragmentum, muro Cœnobii infixum viſitur: de quo dedita opera, et fuſe in Vol. II. 210

B QUIBUS

Anni ab O. C.	*Post N.C.*

QUIBUS autem in rebus *Geta* fuit liberalis, ex Urbis et Aquarum more naturaq; non est explicatu difficile: Limo Fontes referti, canales ruinosi, aliaq; rerum ibi pessum abeuntium indicia, Imperatore dignum exhibent negotium. Hoc illum obiisse, simulq; terram omnino paludosam opere fistucato roborasse, itaq; ad Domos, ad Urbem sustinendam, parem et idoneam reddidisse; quinetiam Balneis, Apodyteriis, Curiceis, aliisq; ad usum hujusmodi Thermarum necessariis ornasse, res est omnino fide dignissima. Atq; horum in memoriam operum, Equestrem illam Statuam, cujus Fragmentum non ita pridem erutum est, ab ordinibus positam fuisse probabile est. Certe *Cæsarem* quendam ab illa repræsentari manifestum est, quando nemini præter *Cæsarem*, Statua Equestris, cum Parma et Hasta Pura unquam erecta fuerit: Viris *Cæsareæ* Dignitatis illam poni, nempe *Caio* et *Lucio Cæsaribus*, affirmat *Dio*: at infra illam dignitatem aliis in honorem unquam erigi, minime credibile est; quando neq; ex *Figrelio*, (qui de *Romanorum* Statuis enucleatissime scripsit;) neq; ex alio quovis Auctore, quantum video, quicquam hujusmodi possumus elicere.

CON-

Anni ab O. C.	Post N. C.

Concludimus ergo, et quidem ex hoc Lapide, magnam *Aquarum Calidarum* a *Geta* Imp. fieri reſtitutionem, additamentum, ornatum; præcipue, cum huic Argumento non parum aſtipuletur Facierum, in *Getæ* Nummis, et in Statua Similitudo; tanta certe, quanta eundem virum utraq; Facie denotari comprobet.

Severus a *Mæatis* et *Caledoniis* redux Eburaci iiii. die Februarii e vita exceſſit, Imperio duobus Filiis *Baſſiano* et *Getæ* relicto. 211

Antoninus ille, cujus extat *Itinerarium*, quem fuiſſe *Baſſianum* autumat Doctiſſ. *Galæus*, Ὕδασι θερμοῖς, nomen [*Aquarum Solis*] indidit: ea proculdubio de cauſa, quoniam Deo, Medicinæ Inventori, omnino Aquas haſce medicatrices attribui voveriq; oporteret. Equidem *Aquas* haſce percelebres, ſalutiferas *Minervæ*, *Herculi*, et *Apollini* fuiſſe ſacras, in conceſſis habeo; at Templum *Apollini* fuiſſe hac in Urbe, non addam: ab aliis hoc affirmatum, clam me eſt. 212

Sub *Alexandri Mamææ* imperio, plurimos in *Belgio* fuiſſe *Romanos*, eoſq; laute et dapſiliter ibi vixiſſe, ex optimæ fidei monumentis abunde liquet. Hujus rei indicium eſt *Seria*, Vas vinarium, 232

 quod

Anni ab O. C.	post N. C.

quod apud *Deuisas* (cujus oppiduli nomen antiquum intercidit) haud ita pridem erutum. Vasis hujus ob ejus raritatem, Tabula xi. Figuram exibuimus, et Capite XVII. de eo fuse verba fecimus.

Hujusce porro generis sunt *Penates*, eodem loco, ab Olitore inter fodiendum effossi; quorum Figuras item cum publico communicavimus, et brevibus notis explicuimus. Hos autem, *Alexandro Severo* imperante, terræ mandari, ex illius Imperatoris nummo, quem vidi tractaviq;, cum iis invento, satis manifestum est. Et quidem in Nummo PAX. AVG. post Triumphum *Persicum*, (qui anno 230, secundum *Pagium*, celebratus est ab *Alexandro*) cusus hic Nummus, et una cum Penatibus terræ mandatus esse videtur, anno quasi 233.

Hoc circiter anno *Allectus*, sub *Vectis*
295 Ins. clivos, fortasse *Spithead*, Classem *Britannicam*, ut *Romanam* cum exercitu, *Constantio* Duce, litus *Belgicum* petentes, interciperet, subvehi curavit: Hæc autem oborta nebula, illius beneficio prætervecta est, et imprudente *Allecto* litus appulsa *Britannicum*, ibi cum exercitus e navibus exscensum fecerat, accensa.

Probat

PROBAT *Vas vinarium*, et *Romanos* apud *Devisas* sub *Alexandro* egisse, et quidem molliter egisse, solicitudines diluisse: Probant *Penates* magni nominis Legatum quendam, *Alexandro*, qui hujusmodi Icunculas magno in honore habuit, carum, ibi fuisse, Deosq; Tutelares secum habuisse: Sed de his abunde in Capite XI.

VIX sexennium est, cum apud *Wivelli* Pagum (*Wilscomb*) in occidentali *Belgio*, ubi illud *Dunmonio* conterminum, Thesaurus e Numismate *Romano*, erueretur, in quo Nummi duo, qui penes me sunt, quorum alter Imp. *Diocletiani* Aug. fuit, alter *Maximiniani* Nob. C. Posterior hic Nummus A. D. 284, vel sequenti cusus est; namq; eo anno *Maximianus* dictus est *Cæsar*, et post biennium *Augustus*: ut ex *Pagio* discimus. Arguunt hi Nummi Præsidia quædam e *Romanis* militibus ibi stationem habuisse circa A. D. 285, et quidem humo, cum milites hinc evocarentur, spe reditus thesaurum mandari, non est improbabile. Vide Cap. III. § II.

AT veterum *Aquarum Calidarum* Magnificentiam nemo clarius *Solino* exhibuit. [*Fontes*, inquit ille, Cap. XXII. *Calidi sunt opiparo exculti apparatu, ad*

usus

Anni ab O.C.	Ante N.C	

usus mortalium: quibus Fontibus Præsul est Minervæ *Numen, in cujus æde perpetui ignes nunquam canescunt in favillas, sed ubi Ignis tabuit, vertit in globos saxeos.*] Vixit ille Πολυΐςωρ sub finem sæculi tertii, et disertissime statum harum ac conditionem Aquarum eo tempore descripsit: Debebatur autem mirificus ille cultus et elegantia, cum firmamento et robore, quantum autumo, *Getæ* Liberalitati Munificentiæq; de quibus supra *.

ROMANI *Britanniam* circa hoc tem-
410 pus deseruere; scripturis patriæ scriptorumq; monumentis aut ab hoste igni traditis, aut classe longius deportatis. Nam *Gildas* ea suo tempore non comparere, (vide ejus Epistolam, sub initium) asserit, et ex transmarina relatione, ipso tradente, Epistolam flebili sermone composuit. Atq; hic *Romani* in *Belgio* Imperii, ne dicam in *Britannia*, finis.

HI sunt Apices harum Antiquitatum omnes, de quibus ex veterum scriptis, aliisq; monumentis, in tenebricosissima hac

* *Vide* Cl. Chifletium *de Vita* Ammiani Marcellini, *ejus Editioni* Gronovianæ *præfixa*, *et* G. J. Vossium, *de Hist. Lat. Lib. iii. hac de re dissentientem, neq; multum a* Chifletio *differentem.*

	Anni ab O. C.	Post N.C.
hac materia lux effulſit aliqua. In iis autem elucidandis ideo fui copioſior, quoniam hiſce de rebus plus nimio ſilent Autores, qua Græci, qua Latini; et ex Lapidibus, Imaginibus, aliisq; veterum monumentis minime deſcriptis, quorum nuperis hiſce annis uberem proventum forte fortuna accepimus, ſunt eliciendæ.		

Explicit Chronicon *Britanno-Belgicum.*





Cap. II.

De Annona Britanniis *exportata.*



RUMENTO *Britanniam* olim abundare, * *Strabo* memoriæ prodidit: cui adjiciendum id, quod ab *Ammiano Marcellino* acceperimus, nempe *Julianum* Imp. ut Annona lembis per Flumen *Rhenum*, in exercitus uſum, ex *Britannia* ſubveheretur, eos fabricaſſe ſoliciteq; providiſſe [*ut condi poſſet,* † inquit Hiſtoricus, *Annona a* Britannis *ſueta transferri.*] Tetigit hanc Annonam,

Annonæ hujus confirmatio.

* Φέρει δὲ σῖτον. Lib. iiii.

† Lib. xviii, Cap. II.

Annonam, inter hujus Inſulæ ἐξαγώγιμα jure merito ponendam, et ad Vol. I. Cap. xiii. referendam * *Zoſimus*, ipſeq; † *Julianus*, || *Eunapius*, |||| *Libanius*.

Veteris Britanniæ *Fertilitas*,

LUCULENTER ex *Ammiano* patet, Frumenti in *Britannia* ſuo tempore vim ineſſe permagnam, atq; adeo non ſibi ſolum, verumetiam vicinis gentibus perutilem: Unde (*) *Lindenbrugius* [*Jam olim ergo hac laude celebris* Britannia, *quod et Annona in proprios uſus ſufficiente abundet, et Frumentarium auxilium populis etiam longiſſime diſſitis ſuppeditet.*]

Veterisq; Belgii.

QUICQUID de Frumento *Britanniæ* diximus, omne id de Frumento *Belgii* exportato dici poſſe, ſimiliter intellegendum eſt; quando *Belgii* ſolum et frugum habuit copiam, et, e quo in exteras nationes exportari poſſet, portum ſatis idoneum; nempe *Triſantona*, qui *Belgii* Orientalis ſegetem, quæ omni ævo læta fuit et ampla, libenter recipere, et facile potuit tranſvehere.

FRU-

---

* Lib. iii.

† In Epiſtola ad *Athenienſes*.

|| Περὶ Πρεσβειῶν.

|||| In notis ad *Ammiani* locum ſupra laudatum.

FRUMENTARII negotiatores Annonam, ex *Britanniis* acceptam, in *Brittenburgum* exonerarunt: ut enim Arx illa *Romanis* usui fuisse credebatur, tamquam præsidiaria, contra *Britonum* incursiones, et (ut aliis visum fuit) succensis de nocte ignibus signum exhibendo navigiis, quo cursum verterent: sic alii Armamentarium, Horreum alii litorale censuere (quos inter * *Adrianus Parsius*, *Cattorum* Illustrator eruditus) Annonæ asservandæ distribuendæq; dicatum.

Brittenburgo *condebatur* Annona.

C 2 CAP.

* *In duobus* Cattorum *Vicis*, *Lugd. Batav.* 1697. 8vo.





CAP. III.

JULII VITALIS *Epitaphium, emendatius editum.*



UM ex Editionibus singularis hujus Epitaphii, quæ ſpatio decennii ſex fuere, correcta et emendata ne quidem una reperiatur; pleræq; vero omnes erratis quam plurimis ſcateant, (unde opiniones non nimis ſanæ de illo permultæ originem habuere) curæ mihi fuit, *Aquas* adeunti *Calidas* Epitaphium ex ἀυτοψία tranſcribere, itaq; tum mihi, tum etiam aliis pro virili ſatisfacere, *Julioq*; noſtro ſuum tribuere.

Epitaphium hoc attente lectum.

SISTIMUS igitur Epitaphium, Literis longioribus, forma rudi, qualis earum eſt, inciſum ; ut in hujus Vol. Tab.


Tab. I. videre licet: *longioribus*, inquam; nam prima omnium Vocalis I uncias habet cum dimidio tres, et quod excedit; ceteræq; fere omnes majusculæ eadem fere proportione sunt. Minuscula Vocalis ı in ıX, versu quinto, sic, ut etiam in proxime sequenti, uncias binas cum quadrante habet.

Literarum Longitudo.

CONSTAT insuper, primum, in Litera E formanda nullam, vel certe quam minimam, linearum transversarum et inter se parallelarum, esse inæqualitatem: Deinde, Literarum OL, in linea antepenultima, nullam esse Ligaturam; atq; adeo nullam Verrucam; sed literas omnino distinctas esse, et ita se habere, qua forma, qua magnitudine, ut in Tab. Ligno incis. Fig. iii. Deinde, Caudam Literæ R, in lineæ quartæ fine, nullam decussare lineolam: quod Viri cujusdam eruditi contrarium affirmantis, hac de re conjecturam radicitus evellit. Hoc confirmatur autoritate Viri Reverendi *Geo. Millard*, docti profecto et literate periti, qui rogatu nostro Epitaphium perlustrans, ita inter alia rescripsit: [*The last Letter* R, *in the 4th line, has no Dash crossing its Tail, resembling the Mark used by Physitians, in this Age, to signify* Recipe, *but only the Stone happened to break in that very Place, and is join'd together*

Multa corriguntur.

at



IVLIVS·VITA
LIS·FABRICIES
IS·LEG·XX·V·V·
STIPENDIOR
VM·IX·ANNOR·XX·
IX·NATIONE·BE
LGA·EX·COLLEGIO
FABRICE·ELATV
S·H S E

b

a

Tabulam hanc, quæ repræsentat Julij Vitalis *Epitaphium, ad* Bathoniam A:D: MDCCIIX *effossum, Antiquitatis studio flagrantibus D. D. Q.*

Richardus Musgrave,
Hasilburiensis.

at the Tail of the R, *as is to be ſeen in yours.*] Vide Vol. III. Tab. I. ubi *b c* Fiſſuram denotant. Huic conſentit etiam αὐτόπτης, Grammaticus inſignis, et in veteribus monumentis interpretandis ſagax, *Joh. Reynolds*, S. T. B. Ludi apud *Exoniam* Magiſter, qui teſtium mille inſtar.

Unum viſu jucundiſſimum erat, nempe Parallelam mediam, in N͞N, voce ANNORVM, quam viſum fugiſſe pertimui, etiamnum conſpici. Dicam igitur eam (ut Vol. iii. § vi.) hodie fugientem, utpote ductu cæteris graciliorem; ſed et hodie cernendam. Habeat ergo locum, nec a *Valerio Probo*, nec a *Petro Diacono*, nec a *Claudio Dauſquio*, nec ab ullo quoquam alio, quantum ſcio, Grammaticorum, illi conceſſum; quem tamen, ex Lapide *Bathonienſi* jure merito ſibi vindicat, inter *Romanæ* Linguæ Ligaturas, N͞N pro N N, amœniſſime poſita. *Ligatura* N͞N

Ut nobiliſſimi hujus Epitaphii pro virili parte tollam obſcuritates, locos ejus difficiliores, aut ære clarius, aut chartis impoſitis ſua forma magnitudineq; lineatos, et Ligno tandem inciſos, oculis ſubjiciam.

Tab. I. vocis *Stipendiorum* partem ultimam, quæ conjecturis et opinionibus variis omnino dubiis, anſam præbuit,

præbuit, aperte exhibet: Nulla hic, quæ Literæ Caninæ Caudam in linea quarta decuſſet, a Scalpro facta eſt Lineola; nullum poſt R, nullum poſt V, Punctum.

M, in linea quinta, a Fiſſura totius Lapidis ſupradicta, vulneratur; quod illius Vulnus pro Ligatura perperam acceptum eſt. Ligno inciſa

Fig. I. Ligaturam exhibet τῶν N N, hactenus, uti videtur, a Grammaticis omiſſam. Paralleli in ea medii pars media multum exeſa eſt; tantum autem etiamnum aſpicitur, ut de integro minime liceat dubitare.

A ſine Linea tranſverſa.

A in *Natione*, ſine linea tranſverſa, Fig. II. exprimitur.

In voce *Collegio* plurima ſunt notatu digna; Primum O et L nulla jungi Ligatura, ſed omnino diſtingui: in Lineis tribus Vocalis E parallelis, (ſicut in aliis hujus Epitaphii pleriſq; omnibus) nullam inæqualitatem eſſe.

Postremo, CI pro GI Fig. III. inſculpi, literis nempe diſtinctis, neq; Lineola Vocali intus ſuperaddita.

Ut hæc conveniant cum *Hearniana* Editione noviſſima, Eruditorum penes ſit arbitrium.




Cap



Cap. IV.

De *Julio Vitali Romano*, & de *Julii* nostri dignitate.





ULIUM quendam *Vitalem* fuisse *Romanum*, ex Inscriptione patet, quæ ad S. *Pauli*, *Romæ*, legitur hujusmodi.

DIS. MANIBUS
L. NONIO. QVETO
V. A. VIII. M. III. D. VII.
NONIA. QVETE.
MATER
FILIO DULCISSIM
FECIT
JULIVS. VITALIIS. LOCV
ET. ARA. DON.

Hujus Inſcriptionis, aliarumq; permultarum auctoritate uſus eſt *Joſeph.* [1] *Caſtalio*, I. C. ad oſtendendum [*minores xvii annis Prænominibus affectos.*] Utrum hic V I-T·A L I I S (quod ejus nomen, proculdubio Sculptoris errato, pro V I T A L I S eſt) idem ſit cum *Bega* noſtro, non eſt exploratiſſimum: hoc autem dato, ex hac Inſcriptione, D I S M A N I B U S initio habente, & *Vitalem* Ara donaviſſe *Nonium* affirmante, licebit arguere, *Vitalem noſtrum ex Ethnicorum numero fuiſſe*: quod itane fuerit, an ſecus, Inſcriptio *Bathonienſis* in dubio relinquit; ſecus fuiſſe, nonnulli ſibi perſuaſum habuere.

Obiter hic notandum, non viros ſolum principes, ut videlicet a poſteris Deorum numero haberentur (quod vult *Emmeneſſius*, ad illud [2] *Virgilii*,

Mæſtaſq; ſacravimus Aras;)

ſed

---

1 *Vide ejus Commentarium*, De Antiquis Puerorum Prænominibus; *inter* Miſcellanea Italica Erudita, *Parmæ*, MDCXC, *edita: in Quarto. Tom.* 1, *Pag.* 100.
2 *Lib.* v. *Verſum* 58.

ſed & illis inferiores, in quibus fuit *Nonius*, Aras ſibi conſtructas obtinuiſſe. De *Aris Sepulcralibus* videantur, quæ a Doctiſſ. *Joh. Kirchmanno* e Vett. ſunt [1] collecta.

Ad confirmandam *Julii* noſtri dignitatem, nihil efficacius apparet, quam a Cippo & Literarum in eo figura, quod duci poſſit argumentum. Videamus igitur Lapidem juſtæ magnitudinis, e pluribus ſelectum, in idoneam & convenientem formam à Lithotomo redactum; vertice acuto, non una re decorato, crena vero infra donatum. In eo Tabulam, longam & latam, ut 3 & 2, id eſt in ratione ſeſquialtera, viſu pulcherrimam videamus; cum Margine larga, perpetua, & ubiq; ſimiliter inæquali, formoſiſſima, cœlo inciſa: Videamus hac in Tabula Literas longitudine, latitudine & profunditate non vulgari: ea certe longitudo, quæ trium ſæpe unciarum eſt. (Ab hac longitudine Conſonantis *L.* in *Collegio* factum eſt, quod *Fredric. Gronovius* Veterum L, conſonantem Vocali I. forma perſimilem eſſe pronuntiaverit; qua in re *Joh. Rhodium*, ut ſupra dictum eſt, ſibi conſentaneum habet.)

De Julii noſtri dignitate.

---

1 *De Funeribus Romanorum, Lib.* 4to. *Cap.* 2.

bet.) Videamus Epitaphium elegans & concinnum, *Julii* patriam, vitæ genus, Annos, Stipendia, Sepulturam honorificam ostendens, ingeniose compositum. Casune vero, aut inconsulte, an studio fieri hæc existimandum est? studio planissime, eoq; multo & ardente; tali videlicet, quale *Vitalem* Fabricæ Præpositum haberi, omnino postulet.

Atq; hæc de *Julii Belgæ* dignitate, suum ad locum (Vol. III. Sect. IX.) referenda.

CAP.



Cap. V.

De *Romanorum* more Subjiciendi Nummos Ædificiorum, Monumentorum, Altarium Fundamentis.





UM ad *Julii Vitalis* Epitaphium Commentarius, jam tum in Lucem miſſus, avidiſſime fatum expectaret, ab extraneo quodam, Eruditione et Doctrina claro, per literas ſum rogatus, ut, quoniam verbis enuntiaverim [Romanorum *moris eſſe, Monumentorum et ædificiorum fundamentis*

Nummos

Nummos *ſubjicere,*] quibus argumentis hoc confirmari poſſet, oſtenderem: Imperatum mihi negotium nunc conficiam, eoq; lubentius, propter altum apud antiquos Scriptores, ſi unum excipias *Tacitum*, hujusce rei, quantum ego perſpicio, ſilentium.

ILLE tradit, [2] in Capitolii reſtitutione [*paſſim injectas fundamentis Argenti Auriq; Stipes, & Metallorum primitias, nullis fornacibus victas, ſed ut gignuntur.*]

HUIC Hiſtorici illius nobiliſſimi loco addam, quæ ad rem noſtram propius accedunt, Additamentorum ad *Camdeni Eſſexiam* Auctor tradit, *Domitiani* ex Argento Nummum, muri veteris *Romani* (quod demonſtrant Lateres) Fundamento ſubjectum, non ita pridem erutum fuiſſe. Murum autem illum, *Romani* cujuſdam hominis ſpectati et probati fuiſſe Villæ, non ſine ratione conjectat idem.

DEINDE,

(1) *Pag.* 85 (2) *Hiſtor. Lib.* IV. Cap. LIII.

DEINDE, ſub Altari, quod *Devæ*, a *Longinis*, (Patre et Filio) pro ſalute Dominorum (i. e. *Diocletiani* & *Maximiniani*) poſitum fuit, de qua [3] alibi, Nummus eſt [4] repertus.

PRÆTEREA, ſub ingenti quadrato Lapide, in Via militari, dicta *Watling-ſtreet-way*, inventi ſunt Argentei duo Nummi, *Trajano* inſcripti; qua de re vide [5] *Burtoni Leiceſtriam*: qui porro Auctor, Lapidem hunc Altaris ad *Trajanum* erecti fuiſſe Baſin, acute conjecturam facit.

HIS addi poteſt ex *Lelandi* Itinerario, Numiſmata *Romana*, Locis apud nos permultis, , una cum Ædificiorum Fundamentis effodi; ſic, ut hiſce ſubjecta fuiſſe illa, ſuſpicari liceat: verum, cum hæc ſubleſtæ fidei ſint Argumenta, neq; de illa *Subjectione* conſtet, exemplis ſupra allatis, de quorum fide nulla poteſt eſſe dubitatio,

contenti

---

(3) *In Commentario ad* J. Vitalis *Epitaphium, Pag.* 84 *&* *Seqq.* (4) *Vide Clariſſ.* Leighi *Hiſtoriam* Lancaſtriæ; *Lib.* III. *Pag.* 29. (5) *Pag.* 131.

contenti ſumus. His, opinor, id quod dixi, manifeſte patet, videlicet [Romanos *Ædificiorum & Monumentorum Fundamentis ſolere Nummos ſubjicere*:] neq; eſſe, quod ille mos in [6] novis habeatur: Res palam eſt, Antiquitatum *Rutupinarum* Auctorem Doctiſſimum aliter hac de re ſentire, hujuſmodi quæſtiunculam moventem, & hanc rem leviter tangentem [*ob eandem gloriolam nummos in ædificiorum fundamentis jactos.*] [7]

HIC Nummorum uſus, magni fuit momenti, in Ædificiorum, Altarium, &c. quibus ſubjicerentur, ætate, cauſis, et Fundatorum nominibus ab oblivione vindicandis: Nempe *tam magni*, ut ſuperioris ſæculi Principes & Primates, ultro eum referrent. *Carolus*, ejus nominis Secundus, Rex *Angliæ* &c. cum in ſubvertendo Cothone *Tingitano* satageret, *Guineas* e ſuis non paucas miſceri ruderibus in exploſione curavit; unde cujus ſub auſpiciis, & quo anno ille fuiſſet, poſteris innoteſceret.

CAP.


---

(6) Hydriotaphiæ, (*Auctore* Tho. Brown, *M. D. & Eq. Aurato*) *Pag.* 60. (7) *Antiquitates Rutupinæ*, *Pag.* 55.



CAP. VI.

De Legionibus *Epistola, ad Virum Clarissimum Doctissimumque* Hans Sloane, *M. D. Regiæ Societatis a Secretis, Coll. Medd. Lond. Sodalem et Medicum Regium* (*nuper etiam* Baronetti *Titulo insignitum*) *data, a* Guil. Musgrave, *M. D.*





OST tot tantosque Auctores, qui de re militari *Romanorum*, et in ea de Legionibus scripserunt, et quidem enucleate, supervacaneum existimari potest et actum

agi ſiquid amplius hujuſmodi tentaretur; Cum vero in componendo, ad *Julii Vitalis* Viceſimani Epitaphium, Commentario, *Legionum* Hiſtoriam inſpicere, neceſſe habuerim; et in *Lipſio*, *Savilio*, *Salmaſio*, *Robertello*, *Roſino* (ne dicam alios, eruditione et doctrina claros) hanc ob cauſam excutiendis, alia non ſatis explicata, alia minus ſana et auxilium poſtulantia, tradi repererim; in animum venit, Animadverſa noſtra chartae mandare, et, ut Studiorum et Vitae ratio occupatae ſineret, in unum colligere. Habes igitur, Vir doctiſſime, quod in hoc genere lucubravi, de *Legionibus* Spicilegium, *Julii Vitalis* ergo collectum; *Tibi* vero, tamquam amoris et obſervantiæ in Te meæ monumentum, tamquam optimo eorum et Judici et Patrono, cui omne Literarum genus eſt in pretio, inſcriptum. Hiſce præfatis, ſine mora rem aggredior.

LEGIO res, et vox *Romana* eſt a legendo milites in delectu (1) ſumta. *Legionum* ante *Auguſtum Cæſarem*, alius omnino

(1) Varro *de L. L. Lib.* IV.

nino ſtatus ac conditio fuit, atque poſt illum Imperatorem: ſive earum *Numerum*, ſive militum in earum ſingulis contentorum (de his duobus verba præcipue facturus ſum) animo contemplemur.

ANTE *Auguſtum* illæ Ducum erant, notæ in gerenda repub. eximiæ virorum, et ab iis, a quibus ſeu dilectæ, ſive rectæ fuerint, aliquando *Nomina* cepere. *Legiones* a *Valerio Flacco* conſcriptæ, ab eo dictae ſunt (2) *Valerianæ*; ſed cum iiſdem imperitavit *Fimbria*, dictæ ſunt ab eo (3) *Fimbrianæ*.

MILITUM in *Legione* numerus ſtante Repub. dubius, alias major, alias minor, fuit; ſed qui maxima ex parte, gradatim auctus: Ita vero, ut plerumque minor, quam ſub imperatoribus inveniretur. *Romuli* prima *Legio* Peditum tria millia, ſecundum, *Varronem*, eſt complexa, [*Milites*, (4) ait, *quod trium millium primo Legio fiebat*.] *Plutarchus* (5) hiſce trecentos Equites adjecit. Poſtea pro uſu

(2) Salluſtii *Fragmenta, et ad ea* Douzae *Notas*. Cantabrigiæ, MDCCX. *Pag*. 73 (3) *Pag*. 74. (4) Varro *de L. L. Lib*. IV. (5) *In* Romulo.

usu Reipub. et Senatus arbitrio, ad quatuor (6) millia, ad quingentos (7) supra quatuor millia, ad quina (8) millia et ducenos Pedites, ad sena Peditum millia, et Equites trecenos, accrevit. Id autem, quod diligenter observandum, non ex *Romanorum* more usitato, et communi usu, vel Lege aliqua, sed vel ex periculo quodam imminente, (ut in Bellis *Punico*, (9,) *Macedonico*, (10,) *Mithridatico*, (11,) vel Imperatoris, (uti *Marii*, in Bello (12) *Jugurthino*, *Antonii* in Bello (13) *Civili*) auctoritate, non ex Senatus decreto factum esse liquet.

HIS, de militum in *Legione* numero, sub Regibus et Reipub. initio dictis, adversari censentur ea, quæ ex *Plutarcho* et *Eutropio* adducuntur. A *Plutarcho* (14) scriptum est

---

(6) Livii *Lib*. VI, Cap. XXII. (7) *Lib*. VII, Cap. XXV. (8) *Lib*. XLII. Cap. XXXI. [*Cum quina millia et duceni pedites ex veteri instituto darentur in singulas Legiones.*] *Vide ad hunc locum Doctissimi* Perizonii *notam*. (9) *Livii L*. XXIX. Cap. XXV. (10) *L*. XXII. Cap. XXXI. (11) Appianus *de Bellis Civilibus. Lib*. IV. (12) Sallustii *Bellum Jugurthinum* § XCI. Rosini *Antiquitates Rom. Lib*. X. Cap. IV. (13) Appianus Alex. *de Bellis Civilibus*, *L*. V. (14) *In Romulo*.

est Διπλασιαθείσης δὲ τῆς πόλεως, ἑκατὸν μὲν ἐκ Σαβίνων πατρίκιοι πρὸς κατηλέχθησαν, αἱ δὲ λεγεῶνες ἐγένοντο πεζῶν μὲν ἑξακισχιλίων, ἱππέων δὲ ἑξακοσίων. Id est, *Civitate jam in duplam aucta, Sabinis ea donatis, ex iis alios centum Patricios, eligebant: Legiones autem fiebant Peditum sex millium, Equitum vero sexcentorum.* Quæ utique verba moras *Stewechio, Savilio, Rosino, Panvinio, Sigonio,* facientia, ex *Dionys:* (15) *Halicarnassensi* optime nostra quidem opinione sic explicantur. Erant *Romulo,* post odiosam illam cum *Remo* fratre pugnam, e veteribus colonis, qui cum eo *Romam* condidere, quasi tria Peditum millia, pauciores quam trecenti Equites. Civitate vero duplicata, et cum ea similiter Patriciorum numero, duplicata etiam est Militia : Sic, ut *Plutarchus* non tam de numero militum in una eademque Legione, quam de numero Legionum aucto (pariter atque de aucta Civitate, et de numero patriciorum aucto) itaque de militibus in iis συναθροισμένοις intellegi mereatur. Quæ quidem ejus significatio, illorum temporum mori cum primis convenit:

(15) Dionys. Halicarnassens. *Lib.* II. *S.* 16.

venit: Certissimum enim est (imo quidem, ipso tradente *Plutarcho* (16) certissimum) Legionem a *Romulo*, quod ante dixi, institutam, Peditum fuisse trium millium, Equitum trecentorum. Unum errasse videtur Historicus, in re militari non nimis accuratus, quod primas Romuli Legiones Συντάγματα στρατιωτικά, referat in plurali numero; quando diligentissimus investigator antiquitatis, Varro [*trium millium*, (17) ait, *primo Legio fiebat, ac singulæ Tribus* Tatiensium, Ramnium, Lucerum, *millia singula militum mittebant* :] quod de unica tantumnodo *Legione* subintellegendum, et lucem isti fœnerat interpretationi. *Optimi Scriptoris* (*scil.* Plutarchi) *bonam hanc mentem mavult* Lipsius (18) Romulum *duplicasse Legiones populo duplici, et binas fecisse tot millium.*

EUTROPII dictum (19) est [*Cum* Latini, qui a Romanis *subacti erant, mi-lites*

---

(16) In Romulo Κτιθείσης τῆς πόλεως, πρῶτον μὲν ὅσον ἦν ἡλικία πλῆθος, εἰς συντάγματα στρατιωτικὰ διεῖλεν. Ἕκαστον δὲ σύνταγμα πεζῶν τρισχιλίων ἦν καὶ τριακοσίων ἱππέων.
(17) Varro *de Lingua Lat. Lib.* 4to. (18) *De Militia Rom. Lib.* I. *Dial.* V. (19) *Lib.* II. § VI

lites præstare nollent, ex Romanis *tantum tirones lecti sunt, factæq; Legiones decem, qui modus sexaginta vel amplius armatorum efficiebat.*] Fallitur, inquit doctissima Fæminarum *Anna* (20) et ita erraſſe *Eutropium* miratur, cum expreſſe *Livius* (21) hac de re [*Ubique non urbano tantum, sed etiam agresti juventute decem Legiones scriptæ dicuntur, quaternum millium et ducenorum peditum equitumque trecenorum.*] Ego potius, quamvis a Fæmina tam illuſtri diſſentire vix ſuſtineam, *Eutropii* manuſcripti exſcriptorem erraſſe puto ; (neque enim Hiſtoricus, diligenter magna ex parte et accurate ſcribens, levi de cauſa temereque arguendus,) et quidem hunc in modum erraſſe. Scripſiſſe videtur *Eutropius* [XL, *vel amplius armatorum millia* ;] Exſcriptor autem, literas numerales, quod in proclivi eſt, [LX.] Hoc cum *Livio*, unde id hauſiſſe videtur *Eutropius*, adamuſſim quadrat.

ALIUD

---

(20) *In ad eum* Eutropii *locum Notis.* (21) *Lib.* VII. Cap. XXV.

ALIUD est, quod a significatu vocis *Centuria* ductum, opinioni de militum in Legione sub prima Repub. paucitate, videatur oppugnare; *Varro* (22) ait [*Centuriæ, quæ sub uno* Centurione *sunt, quorum Centenarius justus numerus:*] Hac Etymologia quidam, sed nec ij de Literatorum vulgo, freti, cum Legio Centuriones habeat sexaginta, quod ita esse Lex jussit (testante *Dionysio* (23) *Halicarnassensi*, et apud *A. Gellium Cincio* (24),) ducto sexagesimo in Centesimum numero, *Legionem* militum sex millia, quasi calculi auctoritate, continere pronunciant. Sic a non nemine dicitur [*Legio sexaginta Centuriarum seu sex millium:*] At minime novum est, voces a prima significatione plurimum descíscere. Vocem hanc *Centuriam*, utut de numero centenario primum usurpatam, successu temporis de numero multo minori fuisse dictam, ex *Tacito* (25) patet. Milites in seditione *Germanica* sub *Tiberio* sævitiam Centu-

(22) *Loco jam citato.* (23) *Antiq. Roman.* IX. Cap. X. (24) *Noct. Attic. Lib.* XVI, Cap. IV. (25) *Annalium* Cap. XVI, *Lib.* I. Cap. XXXIII.

Centurionum ulciſcentes, [*in eos invadunt, proſtratos verberibus mulcant ſexageni ſingulos, ut numerum Centurionum adaequarent.*] Manifeſtum hic ſexagenis ſolum præfuiſſe Centurionem. Quid quod iſthuc verbo tenus argumentum, nequaquam ipſa cum re concordet: cum in omni *Romana* Hiſtoria, quæ *initio reipub.* militum ſex millia comprehendat, Legio nulla reperiatur:

SUB exitum Reipub. cum é viris in ea principalibus, ſuo fere quiſque uſus eſt ingenio, *Luculli* (26) Legiones habuerunt ſingulæ ſex millia Peditum, trecentos Equites. *Cæſaris* Legiones millium erant ternorum: [Cæſar *cum Legionibus, quæ terna millia militum* Italorum *habuerunt*, Gallias *ſubegit.*] Ita *Sextus Rufus* [27]. Nobilis *Savilius*, neſcio qua auctoritate, legit *quaterna*. *Antonius* (28) poſt Prœlium *Philippicum* de Legionibus μετὰ τῶν συνταϲσομένων, id eſt, miſtis auxiliis ita ſcripſit, ut Legionum

(26) Appian. *de Bellis Mithridat. Pag.* 368. (27) *In Breviario.* (28) Appian. *de Bellis Civilibus, Lib.* V. *P.* 1075. Ed. Amſt. MDCLXX.

onum ſingula ſex millium ſit ; adeoque ſine auxiliis, trium. Idem in *Luculli* Legionibus ſuſpicandum arbitror, adnumerari *ſcil.* Auxilia ; et ad numerum ter milleſimum eas, per ſe conſideratas, redigi oportere.

ALIA ſub *Cæſaribus* Legio fuit, ut in aliis pleriſque rebus, ita præſertim in numero militum ; qui jam inde, *Cæſarum* mandato, maxima ex parte ſexies milleſimus, interdum eo major invenitur. Hoc ex *Vegetio* manifeſtum eſt, de hac re ita verba faciente (29), [Romani *Legiones habent, in quibus ſingulis ſena millia, interdum amplius militare conſueverunt* ;] et (30) alio loco [*Legio plena habet Pedites ſex millia centum, Equites ſeptingentos viginti ſex.*] Non de ſuo tantum ævo *Vegetius* hæc ſcripſiſſe judicandus, ſed de illorum, a quibus ſuam de re militari conſcripſit Epitomen : in quorum numero fuit *Cornelius Celſus* ; de quo *Volaterranus* (31), [Cornelius Celſus, *inquit, de Arte Rhetorica,* de

(29) *De re militari* ; *Lib.* II. Cap. II. (30) Cap. VI. (31) *Lib.* XIV.

de re militari, *de re rustica, deque medicina libros conscripsit, verum ad nos tantum pervenit ejus medicina, oratorio modo conscipta.*] Ipsius etiam *Augusti* de re militari Constitutiones (quarum una a *Macro* J. C. in Pandectis (32) servata est) *Vegetius* se evolvisse narrat· Quinimo profitetur (33) [*Nihil sibi auctoritatis assumere, sed horum quos supra retulit, quæ dispersa sunt* (in *Catone, Celso Frontino, Augusti, Trajani, Adrianique* Constitutionibus) *velut in ordinem epitomata conscribere.*] Quare verisimile duco, sub *Augusto*, vel *Tiberio*, (quo imperante *Celsus* scripsit) militum in Legione numerum ad sexies millesimum augeri, et nunquam post attenuari, eoque numero minorem reddi; quod partim ex *Frontino*, partim ex eo junioribus *Modesto, Hesychio*, et *Suida* patet. *Modestus* (34) ait [*Iis decem Cohortibus* Legio plena *fundatur, quæ habet Pedites* VII *Mill.* CV, *Equites* DCCXXVI.] Ille *Tacito*

(32) *Digest. Lib.* XLIX. *Tit.* XVI. (33) *De re militari, Lib.* Cap. VIII. (34) Lugduni Batav. *ex Officina Plantin.* CIↃIↃXCII. *Pag.* 291.

cito Imp. floruit, eique [*de Vocabulis rei militaris*] Libellum inſcripſit. *Heſychius* (35) Λεγεὼν πλῆθος στρατεύματος ἢ τάγματος ἐξ χιλιάδων ἑξακοσίων ἑξήκοντα ἕξ. *Suidas* (36) autem Λεγεὼν παρὰ Ῥωμαίοις ἑξακισχίλιοι στρατιῶται *Legio* apud *Romanos* ſex millibus militum conſtans. Adeo patet, ab *Auguſto*, *Romani* Imperii conditore, ad ejus uſque terminum, Legionem ſena millia (et eo amplius aliquando) continere. Hæc, de numero Militum in *Legione plena*, hactenus.

AD Legionum altero loco numerum deſcendamus, et quotus ille fuerit, eodem tempore, quoad ejus fieri poteſt, inveſtigemus. Diverſis temporibus diverſum fuiſſe conſtat, et neceſſe eſt; prout Bella nunc gravia, nunc plura poſtularent, aut pace parum opus eſſent milites. Ex hac varietate de populi *Romani* variis ætatibus, ut et in earum ſingulis de ejus robore, uno conſpectu, ſed et amœno poſſimus aliqua ex parte judicare.

ROMULI,

---

(35) *Voce* Λεγεὼν. (36) *eadem Voce.*

ROMULI, ſicut dictum eſt, primo fuit Legio tantum una: Deinde, in duplum aucta Civitate, binæ. Tametſi *Milites Romani* (37) ad quadraginta mille, et eo amplius ſub *Romulo* augerentur; tametſi [*omnem militarem diſciplinam, artemque bellandi*] *Tullus Hoſtilius* a (38) *Floro* condidiſſe tradatur; Legionum tamen numerum, ſub Regibus, ultra binas augeri nullus invenio.

[IN *omnibus auctoribus*, ait (39) Vegetius, *invenitur, ſingulos Conſules adverſus hoſtes copioſiſſimos, non amplius quam binas duxiſſe Legiones, additis auxiliis Sociorum. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, ut cuivis bello duæ Legiones crederentur poſſe ſufficere:*] quo nihil a vero magis alienum. Nam é diverſo *Dionyſius*, Auctor graviſſimus in Bello contra *Volſcos*, (40) Καὶ γίνονται στρατιωτικὰ τάγματα, ἐξ ἀνδρῶν τετρακισχιλίων ἕκαστον δέκα· τρία μὲν ἕκαστος τῶν ὑπάτων ἔλαβεν, καὶ τῶν ἱππέων τούτων ὅσον ἑκάστῳ προσεμερίσθη.

Decem

(37) Dion. Halicarn. *Antiquit Roman. Lib* VI. Cap. XLII. (38) *Lib.* I. Cap. III. (39) *Lib.* II. Cap. IV. (40) Dionyſ. Hal. *Antiq. Roman. Lib.* VI. Cap. XLII.

Decem, inquit, *Legiones conscriptæ sunt, quarum singulæ quatuor millia hominum continebant: ex his Consules utrique ternas accepere, et Equitum quantum unicuique distributum est.*] *Livius* (41) de eodem Bello [*Legiones decem effectæ. Ternæ inde datæ Consulibus: quatuor Dictator usus est,*] Plures sæpenumero fuisse Legiones certissimum est, et earum magna ex parte duas tantum sub imperio Consulum, reliquas Proconsulum, Prætorum, Proprætorum, Præsidum, Legatorumve mandatis obsequi.

Q. *Fabio* quartum et *M. Marcello* tertium Coss. A. U. Cond. circiter 538. [*Duodeviginti Legionibus bellum geri placuit.*] (42).

Fulvio et *Sulpitio* Coss. id est, A. U. Cond. circiter 541, [*Tribus et viginti Legionibus Romanis bellum terra marique gestum.*] (43).

Ante Prælium *Pharsalicum* erant *Cæsari* Legiones X, *Pompeio* XI; præter auxilia quamplurima. (44).

Cassio

(41) *Lib.* II. Cap. XXX. (42) Livium, *Lib.* XXIV. Cap. XI. (43) *Lib.* XXVI. Cap. I. (44) Appianum *de Bellis civilibus*, *Lib.* II.

Caſſio et *Bruto*, cum *Antonio* et *Octavio Cæſare*, pugnam inituris (45), erant pariter utrinque Legiones XIX. in ſumma XXXVIII.

Octavio Cæſari, devicto *Lepido*, Legiones erant quatuor ſupra quadraginta. (46).

Eidem porro ſe a pugna *Actiaca* (47) ſubmiſere Legiones *Antonii* numero XIX.

Octavio rerum *Romanarum* undique potito, (reformata jam militia, et militum in Legione quavis numero ad ſexies milleſimum aucto) Legiones (48) erant XXIII; vel, ut alij volunt, XXV.

Sub *Tiberio* (49) Legiones erant XXV. *Neroni*, tradente *Tacito*, Legiones erant quinque ſupra viginti: præter alias Legiones duas Claſſicas, et in urbe XII. cohortes. Fuerunt igitur, ex *Lipſij* (50) calculo, civiles ei copiæ, Legionum circiter XXX.

Eundem

---

(45) *Lib.* IIII. (46) Plutarchum *in Antonio*. (47). *Ibi*. (48) Dionem. *Lib*. LV. (49) Taciti *Annal:* *Lib* IIII. (50) *Analecta ad Militiam Romanam*.

Eundem *Adriano* fuiſſe numerum, ex celebri illo *Favorini* dicto manifeſtum eſt.

Dionis Cocceiani ævo, i. e. Imp. *Alexandro Severo*, Legiones (48) erant XXIX.

AT omnium maxime Lapides ij ſunt æſtimandi, quorum alter *Capitolinus*, alter *Romæ* apud *Maffæos*, numerum et nomina Legionum exhibent. Horum Inſcriptiones cum productis nominibus, accurate magis quam unquam vidi, impreſſas, in medium feram.

Romæ, in *Capitolio*, Columella rotunda.
Nomina Legionum.

II. AVG*usta*.
VI. VICT*rix*.
XX. VICT*rix*.
VIII. AVG*usta*.
XXII. PRIM*igenia*.
I. MINER*via*.
XXX. VLP*iana*.
I. ADIVT*rix*.
XIII. GEM*ina*.
I. PARTH*ica*.
I. ADIVT*rix*.
IIII. FLAV*iana*.
VII CLAVD*iana*.
I. ITALIC*a*.
V. MACED*onica*.

XI. CLAVD*iana*.
XIIII. GEM*ina*.
XII. FVLM*inatrix*.
III. GALLIC*ana*.
II. PARTH*ica*.
IIII. SCYTH*ica*.
XVI. FLAV*iana*.
VI. FERRA*ta*.
X. FRETE*nsis*.
III. CYREN*aica*.
II. TRAI*ana*.
III. AVG*usta*.
VII. GEM*ina*.
III. ITALIC*a*.
III. PARTH*ica*.

Qui sequitur Legionum Catalogus, trium numero auctior est.

II. AVG*usta*.
VI. VICTR*ix*.
XX. VICTR*ix*.
VIII. AVG*usta*.

XXII. PRIM*igenia*.
I. MINER*via*.
XXX. VLP*iana*.
I. ADIVT*rix*.

X. GEMina.
XIIII. GEMina.
I. PARTHICa.
II. ADIVTrix.
IIII. FLAViana.
IIV· CLAVDiana.
I. ITALICa.
V. MACEDonica.
XI. CLAVDiana.
XIII. GEMina.
XII. FVLMinatrix.
XV. APOLlinaris.
III. GALLICana.
II. PARTHICa.
IIII. SCYTHica.
XVI. FLAViana.
VI. FERRAta.
X. FRETEnſis.
III. CYRENaica.
II. TRAIana.
III. AVGuſta.
VI. GEMina.
II. ITALICa.
III. ITALICa.
III. PARTHICa

INSCRIPTIONES has *Dionis* ævo poſteriores eſſe, palam eſt ex eo, quod plures utraque Columella Legiones habeat, quam ab illo memorentur; unam *ſcil. Capitolinam*, *Maſſæanas* quatuor. Hæc de Legionum numero Diſſertationem claudunt; quando nihil amplius hac de re apud Hiſtoriæ Romanæ Conditores obſervare contigerit.

HÆC, ex fidei bonæ Auctoribus et Lapidibus accepta notatu digna præbent quam plurima.

Primo,

Primo, ſub Conſulibus plures eodem tempore fuiſſe Legiones, quam ſub Imperatoribus; et ſub Regibus omnium pauciſſimas.

Deinde, ſub Conſulibus plures in Bellis Civilibus, quam externis.

Deinde, ſub Conſulibus minus certum earum eſſe numerum, et Copias magis variari, quam ſub Regibus aut Imperatoribus.

Deinde, ſub Imperatoribus, numerum quaſi ſolennem, ut ait *Lipſius*, eſſe XXX circiter Legionum.

Deinde, nemini unquam hominum plures fuiſſe Legiones, quam *Octavio Cæſari*; uti nemini unquam *Romanorum*, ex Sententia (51) *Lipſij*, Militiam florentiorem, quam *Trajano*.

(51) *Analecta ad militiam Romanam.*

Poſtremo, ex uno Legionum numero, de viribus exercituum, minime poſſe recte concludi.

BINI hic Canones ſanciri poſſunt, qui in *Romana* Hiſtoria, rei præſertim militari intellegendæ, uſui erunt non exiguo. Horum primus eſt: *Ubi militum numerus in exercitu, nullus autem Legionum numerus exprimitur*, (qui plerumque *Appiani* mos eſt) *ut exercitus ad Legiones reducatur, advertendum eſt illius ævum, et in eo quotus ſoleret eſſe militum in Legione numerus: Ducto enim eo in militum totius exercitus numerum, emerget in eodem Legionum numerus.* e. g. *Luculli* contra *Mithridatem* exercitus fuit (tradente (52) *Appiano*) Peditum 30,000, Equitum 1600: id eſt (dato in ſingulam Legionem numero 6200, qui miſtis auxilijs fuit iſtius ævi militum in Legione numerus) Legionum quinque. Septuaginta millium exercitus a *Boadicia* (tradente

(52) Appianum de *Bellis Mithridaticis.*

(tradente (53) *Tacito*) occiſus eſt ; id eſt, datis, ſecundum iſtius ſeculi morem, unicuique Legioni 12000, ſex circiter Legiones.

CANON alter eſt, *Datis in Legione cujuſvis ſæculi militum, una cum Legionum in ejuſdem ſæculi exercitu numeris, orietur inde militum in eo exercitu numerus.* Hinc patet *Romuli* milites, Legione primum una comprehenſos, non exciſſiſſe 3000, vel ſecundum *Plutarchum* 3300. Deinceps, admiſſis *Sabinis*, et cum Civitate duplicata Legione, 6000, vel 6600. Nec quidem plures, etiamſi (quod ſupra diximus e *Dionyſio*) cum ex hominum conſpectu ſublatus hic eſſet, erant *Romæ* Milites 45,000. In Bello contra *Volſcos, Æquos*, et *Sabinos*, cum X Legiones eſſent, et in omni Legione 4000 Milites continerentur, Militum numerus 40,000 eſſet, neceſſe eſt. Sub Imperatoribus, cum Legiones fere XXX numero æquabant, Milites, quoties illæ plenæ erant (ducto *ſcil.* 30 in 6500) 195,000,

---

(53) *Annalium Lib.* IV.

195,000, vel 200,000 plus minus habuere: et additis Sociis, quorum erat æqualis numerus, 400,000. Hæc Imperii fuit *Romani* Magnitudo,

DE *Legionibus Romanis*, ea ſunt, quæ habui dicere: quibus abſolutis, optari reſtat, Te, ut moris fuit εὐπράττειν, ita ſemper ὑγιαίνειν.


Iſcæ Dunmoniorum,
Idibus Maiis MDCCXIII,

CAP.



Cap. VII.

Quo tempore Fides Chriſtiana *primum hanc Inſulam pertigerit.*



DE Fide *Chriſtiana* primum *Britanniam* pertingente, cum Verba faciunt Reverendi admodum Patres *Wilh. Loyd*, et *Edwardus Stillingfleet*, Epiſcopi *Wigornienſes*, ambo videntur opinari, *Plautianum* inter adventum, et victam *Boadiciam*, (hoc eſt, inter annos 43, et 62) felix id fauſtumq; eveniſſe: Sed rem hanc altius, a primo *ſcil.* initij puncto, quantum poſſim, repetam, quoniam magno illi beneficiorum cumulo,

cumulo, qui *Britannis* ab hoc adventu acceſſit, non alienum erit hoc etiam adnumerare, et a fonte eum deducere. Quod ut minus improbabile reddatur, obſervatu dignum eſt, (quod a nemine unquam homine, quantum ſcio, animadverſum, etſi veriſimilitudine non careat) ipſum *Plautium* huic Fidei fuiſſe addictum, eiq; nomen ſuum clam dediſſe: quid enim aliud ſibi vult a 4 *Tacito* illud divulgatum, *Pomponiæ* nempe *Græcinæ*, conjugi ſuæ fidem *Christianam* (quæ fuit illius ævi *Judaiſmus*) profitenti, ideoq; reæ *ſuperſtitionis externæ*, faventem *Plautium*, a Capitis ſupplicio eam ſervaſſe. Nonne hoc innuere videtur, quod, uti *Pomponia*, Sti. *Pauli*, *Romæ* tunc prædicantis Evangelium, dicto audiens, illius luce perfuſa et illuminata fuit adeo, ut illud ex eo tempore profiteretur: ita quidem *Plautio* in cauſa eſſet, quod ille ſimiliter, ſed ob temporum iniquitatem privatim, idem faceret. Certe illa ſimplicitas, quæ in Evangelij Doctrinis effulget et ve-

ſanam

4 *Annalium Lib.* XIII. § XXXIIII.

ſanam Ethnicorum Idololatriam longe anteit, maximo ad hanc rem ei potuit eſſe argumento; præcipue, pia et conjugis amantiſſima prædicante *Pomponia*. Quam ſint ad hujuſmodi negotia proclives, et a natura paratæ mulieres, a 5 *Strabone* proditum eſt. Ἅπαντες γὰρ τῆς δεισιδαιμονίας ἀρχηγοὺς οἴονται τὰς γυναῖκας. ἀυταὶ δε καὶ τοὺς ἀνδρὰς προκαλοῦνται, πρὸς τὰς ἐπιπλέον θεραπείας τῶν Θεῶν, καὶ ἑορτὰς, δὲ ποτνιασμοὺς σπάνιον δὲ ἔιτις ἀνὴρ καθ' ἀυτὸν ζῶν εὑρίσκεται τοιοῦτος i. e. *Superſtitionis auctores, et duces eſſe fæminas, omnes opinantur. Eæ enimvero viros invitant ad ſupervacuos nimiosq; deorum cultus, et dies faſtos, et venerationes. At raro profecto vir cælebs, et ſibi vivens invenietur talis.* Pulchre profecto dictum, & ut notavit 6 *Lipſius*, ex veri adyto.

Quid? quod exiſtimaverim ipſam *Pomponiam* conjugem ſuum in hac Expeditione comitaſſe, non a veriſimilitudine multum abhorrere; Uxorem nempe blandiſſimam, pijſſimamq; Maritum ſuum, ſoſpi-

 tatorem,

---

5 *Lib.* VII.
6 *Ad* Taciti *locum, jam nunc laudatum.*

tatorem, adeoq; dilectiſſimum oculiſq; cariorem. Sex circiter annos in *Britannia* moratus eſt *Plautius* : quod temporis ſpatium, ſimul cum eo *Pomponiæ* pergratum eſſet; at ſine eo, vel *Romæ* manere, tamquam exilium. His adde, tunc temporis Uxores ſequi potuiſſe (lege antiqua, id vetante, jam abolita) viros in provincias euntes: quod pluribus exemplis confirmari poteſt.

His adiiciendum, *Chriſtianæ* fidei introducendæ viam hanc tametſi tenebricoſam, et difficultatibus plenam, longe tamen anteponendam eſſe ei, quæ a prædictis Patribus, doctrina et dignitate claris, quiq; apud me in honore ſunt ampliſſimo, propoſita, nullum habet de quo conſtet Prædicatorem eximium, nullum tempus certum et definitum, ſed ex omni parte conjecturalis eſt.


Hæc qualiacunq; in medium fero, ut oſtenderem, qua ratione, quibus argumentis inductus opinarer, aut *Plautium*, aut *Pomponiam* in hac Inſula primam fuiſſe Chriſtianam : hoc autem minime fidenter a me pronuntiatum, et tamquam e Tripode,

de,

de, verum hæſitanter, neq; alio modo quam qui rei tam obſcuræ et ancipiti conveniat.


Hoc eſt illud ἐπιγέννημα, quod ad Annum poſt N C. 43, ſupra pollicitus ſum: de eo judicent eruditi, æqui boniq; conſultores.

Cap.



Cap. VIII.

De Aquilis Romanis, *Excerpta ex Epiſtola* Guil. Muſgrave, *M. D. et utriuſq;* Societ. Reg. *Socij, ad Virum Clariſſ.* Gisb. Cuperum, *Conſulem* Daventrienſem.





E *Romanorum Aquila* dubitas, utrum Auro Argentove incruſtata fuerit ? [*veteres*, inquis, *eam Auream vel Argenteam faciunt* totam.] At, Amicorum optime, quis

quis unquam veterum hoc affirmavit? Scio quidem (eruditissime *Cupere*) Te cum *Stewechio* et *Lipsio*, militiæ *Romanæ* scientissimis, stare. Scio *Dionem Cocceium* (1) Ἀετὸς χρυσοῦς, *Arrianum* (2) Ἀετοὶ σέμματα χρυσᾶ de *Romanis Aquilis* adhibuisse. *Xenophon* etiam, de *Persis* scribens, (nam a *Persis* Aquilæ sunt acceptæ) Ἀετὸν τινα χρυσοῦν (3) et ἀετὸς χρυσοῦς (4). Sed longe hæc a scopo.

Suggestum in Curia, (sic a *Floro* (5) dicitur) sive *Sellam* (ut *Suetonius* (6), & *Cicero* (7) eam appellant,) quam Senatus *Julio Cæsari* decrevit, totam ex Auro fieri, vix credibile est; verum potius (ut vult (8) *Buchnerus*) *auratam*, et *multo Auro obductam*. Si quis autem isthanc opinionem pertinaciter defensum iverit,

(1) *Lib.* XL. (2) *Dissertationibus* Epicteti. (3) Xenophon. *Anab.* (4) *Pædia* Cyri, *Lib.* VIII. (5) *Lib.* II, Cap. XI. (6) *De* Julio Cæsare, Cap. XXVI. (7) *Philippic*, II. 85. *De Divinatione* I, 19. (8) *Thesauro Eruditionis Scholasticæ*, *voce* Aureus. *Ed.* Lipsiensi. 1692.

rit, *Plutarchum* (9) & *Dionem* (10) habebit adverſarios ; a quibus hæc eadem Sella Δίφρος ἐπίχρυσος, i. e. Auro inductus, ſive obductus, in ſumma ſui parte inauratus, dicitur : Ut, a *Suetonio* (11) [*Sedes Aurea*] & plus ſemel a *Cicerone* (12), Elegantiarum patre, qua ſignificatione Sella hæc dicatur *Aurea*, facile ſit perceptu. Domum incendio abſumptam, reſtitutamq; *Nero* (ex auratis proculdubio Columnis, oſtiorum poſtibus, Feneſtris, et id genus aliis) *Auream* (13) nominavit : non ex Auro fabrificavit.

Notum etiam eſt, a *Cicerone* (14) Aquilam militarem dici *Argenteam* ; ſed id ſignificare [*totam eam ex Argento fieri*] non eſt probabile ; cum in triumpho *Pompeii magni*, *Mithridatis* Currus [*Aureos Argenteoſque fuiſſe*] tradit *Plinius* (15) : hoſcine vero totos fuiſſe *Aureos* opinabimur ? minime gentium. Ipſa rei ratio contradicit.

---

(9) *In* Cæſare. (10) *Lib.* XLIV. (11) *Loco jam citato.* (12) *Locis jam citatis.* (13) *Sueton. in* Nerone, Cap. XXXI. (14) *Oratione in* Catalinam, Cap. IX. (15) *Lib.* XXXIII. Cap. XII.

dicit. Quis enim nescit, Tritum hæc Metalla non pati? Quis nescit, Auri id pondus esse, ut Currus ex ea factus, quod trahi respuat, (nisi minutulus, ad puerorum ludicra) omnino sit inutilis? *In hujusmodi dictis, non solum verborum sono, et primo eorum sensui, sed et ipsi naturæ rei consulendum*: Quæ si, in veterum Auctorum interpretatione diligenter observetur Regula, in eis explicandis exponendisque, usus erit profecto non exigui.

Hoc quasi filo ducti, Labyrinthum hunc ingrediamur; primoq; advertamus, *Aquilam* esse totius Legionis Insigne, fulgens, hastæ longæ extremitati affixum; ut ab Aquilifero erectum, et a militibus (præcipue primæ Cohortis) ij vero in Legione, ut ex *Vegetio* (16) patet, Pedites mille centum quinque, Equites centum triginta duo (i. e. 1237) erant, aspectum, usui sit tanto eorum numero, in servandis ordinibus, custodiendis intervallis, atq; adeo forma aciei retinenda. Alta ergo, et magna

(16) *Lib.* II. *Cap.* vi.

na ſit *Aquila*, neceſſe eſt, ut propoſito reſpondeat: Primum ejus Altitudinem, et deinde Magnitudinem indagabimus.

In *Adlocutionibus*, quas Nummi *Romani* paſſim repræſentant, ijs præcipue, quæ juſtæ longitudinis haſtam humi defixam habent, et *Aquilam* ad perpendiculum elevatam; his, inquam, in Nummis, *Aquilæ* et haſtæ, cui imponitur, ſimul ſumptarum altitudo ad Aquiliferi altitudinem eſſe ſolet, ut 4 ad 3; ſive in ratione ſeſquitertia, præterpropter. Ut in Nummis *Caij Cæſaris*, (17) et *Galbæ*, (quos ex Ære majuſculos poſſideo, et jam nunc in manibus habeo) alijſque licet obſervare *Galbæ* (18), *Hadriani* (19) *Gordianiq;* (20); quorum figuræ, prelo impreſſæ, extant; et in Nummo *Othonis*, (quem etiam poſſideo) *Securitatem* P. R. exhibente. Dato jam Aquiliferum ſex Pedes altum eſſe, (quæ utiq; ſtatura in iſtiuſmodi milite *commoda* cenſeatur) hinc ſequitur, *Aquilam*

---

(17) *Vide Tab.* II. (18) *Stewech Comment. ad lib.* III. *Vegetij, Pag.* 271. (19) *Ibi.* (20) *Acta Eruditorum Menſis Maij*, MDCXCIII.

Tab. II.
pag. 64

Fig:1




Fig.2



Fig:3



Fig: 4





Fig.5



Fig: 6





Nummos *hosce,* Romanaru *Magni-
idinem* Aquilarum *ostendentes, ære incisos,
rbi literato D.D.D.* THO: DIKE, *de* Tetton,
Armiger, πόλλων ἀντάξιος ἄλλων.

M. V.der Gucht Sculp.

lam et Haſtam ſimul acceptas, altas eſſe pedes octo. Hujus altitudinis pars, minimum duodecima, tribuenda eſt *Aquilæ*, cujus profunditas erat *unciarum octo*. Ex profunditate corporis hujus Aquilini, de ejus ceteris dimenſionibus poſſumus conjicere; et ex ijs de ejus *Pondere*. Erit pondus hujuſce *Aquilæ*, ſi ex *Argento* fuerit, librarum circiter 300 *Trojan.* ſi ex *Auro*, 600 *l. Trojan.* At tantæ molis *Auro*, vel etiam *Argento*, Haſtæ ſummæ impoſito, in altum elevando, huc illuc agitando ferendoq; parem, quem tandem inveniemus *Aquiliferum*? Profecto, quod in cauſis antiquitus ſolebat dici perobſcuris, *Non liquet*.

Lipſius, (21) hic opponit ex *Floro*, in clade *Variana* [*Signiferum* Aquilam *intra Balthei ſui latebras gerentem, et in cruenta palude delitentem,*] ne *ſcil:* potirentur ea hoſtes; ex eoq; corpus *Aquilæ* non magnum eſſe judicat. Balthei latebras, quam velit ille maximas, et quidem ejus, qui vel

K *Garagantuæ*

(21) *De Militia* Romana *lib.* IV.

Garagantuæ circundaretur, lubentius concederem, quam Aviculam, Passerem, vel Rubellionem magnitudine vix superantem (qualem *Lipsius* eam esse vult) *Aquilæ Romanæ* vires & munera præstare; sed ut *Florus*, in alijs hujus narrationis partibus, turpissime falsus est; (qua de re videantur, *Ryckij* (22) ad *Tacitum* Animadversiones) ita quidem minime audiendus, in ea, qua de *Aquilæ* magnitudine adeo dissentit, tum a reliquis optimæ notæ Auctoribus, tum ab ipsa rei natura veritateq;

Ego quidem (ut de *Aquilæ* fabrica, ex ejus usu, ferrem sententiam) e Ligno quodam, vel Subere, vel materia sive Coriacea, sive Chartacea, vel hujusmodi aliquo levidensi, Lamina sive Argentea, sive Aurea obducto, cum Alis ejusdem Laminæ in altum expansis, & interdum Tonitru sub *Aquilæ* pedibus, eam fieri conjecto. Talis enim proposito responderet. Aquilæ parvitati immodicæ, non parum favent ea, quæ de Sacello ejus, ab Auctoribus nimis obscura,

(22) *Pag.* 33.

obſcura, neque recte ſatis, exhibentur. Aliqui Sacellum, & in eo *Aquilam*, Haſtæ ſuperponi volunt: Sed (ut apertiſſime (23) *Lipſius*) *Cave ſentias, in Haſta ipſa ſimile quidpiam adfuiſſe Templi.* Ad Caſtra id referendum eſt; in quorum principijs Ædicula quædam, ſive Templum erat, in quo, Religionis ergo, *Aquilæ* & Signa ſervabantur, adorabantur: quod ex *Herodiani* lib iv. probatur. Hoc autem adjicere placet ὑπέρμετρον, a *Lipſio* prætermiſſum eſt, nempe ad Domos etiam privatas id referri poſſe videri. Ita enim (24) *Cicero* de *Catilina* [Aquilam Argenteam, *cui domi tuæ* ſacrarium *ſcelerum tuorum conſtitutum fuit.*] Quod ab alijs *Aquilæ Sacellum, Templum,* & *Ædicula* fuit, *Sacrarium* id a *Cicerone* dictum, & quidem in privata Domo poſitum.

Hanc rem conſideranti, nemo eam acu tetigiſſe, mihi magis videbatur, quam *Ant. Auguſtinus* (25) qui ita ſcribit, [*Legi-*

 ones

(23) *Commentario ad Lib.* II. *Annalium* Taciti. (24) *Loco jam citato.* (25) *Dialog.* III *Antiquitatum in* Cappadocia.

ones ſingulæ Aquilam *ſculptam geſtabant, haſtæq; impoſitam,* Auro Argentove incruſtatam.] Quæ quidem illius verba, rem, ut opinatus ſum, veram exprimentia, in Commentarium meum retuli: rectene vero, an ſecus, cedo quemvis arbitrum.

Tabulæ

Tabulæ Explicatio.

I. NUmmus *Galbæ*, in altera parte habens ejus Effigiem, cum hac Inſcriptione,

IMP. SER. SVLP. GALBA. CÆS. AVG. TR. POT.

Vide Tab. II.

In altera *Adlocutionem*, quam hic exhibemus.

II. Nummus *Hadriani*, cujus altera facie

HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P.

Alterâ hæc *Adlocutio*.

III. Nummus *Gordiani*; cujus altero latere,

IMP. GORDIANVS. PIVS. FELIX. AVG.

altero, quæ hic cernitur, *Adlocutio*.

Reliqui

Reliqui tres Nummi e meis ſunt, æreі, ejuſdem Magnitudinis cum Figuris; nempe

IV. Nummus *C. Cæſaris* ; cujus altera pars habet

C. CÆSAR. AVG. GERMANICVS. PON M TR PO.

(i. e. Pontifex Maximus, Tribunitiæ Poteſtatis)

Altera hanc *Adlocutionem*.

V. Nummus alter *Galbæ*; altera parte habens

SER. GALBA. IMP. CÆS. AVG.

altera *Adlocutionem*.

VI. Nummus *Othonis*, cujus altera facie

IMP. OTHO. CÆS. AVG. TR. POT.

altera SECURITAS. P. R.

Notatu dignum eſtın, omnibus hiſce Nummis *Aquilas* ejuſdem fere altitudinis eſſe,


esse, nempe tres supra caput Aquiliferi circiter pedes; unde licet conjicere, quod tametsi Hastæ, quibus superimpositæ fuerunt *Aquilæ*, non in Nummis omnibus exprimantur, tamen, cum in Nummis 1, 2, 3, 4, integre ad terram usq; producantur, ejusdem alias cum hisce longitudinis esse.

CAP.



CAP. IX.

XV. *Inscriptio Tarraconensis: cum Commentario* Guilhelmi Musgrave, *M. D. Coll. Med. et Societ. Reg. Lond. Socij.*





X Inscriptionibus *Taracone* inventis, quas suo tempore *multas* esse tradidit *Ant: Augustinus* (1) una *Britanniam* nuper, a quodam mihi noto et familiari, Cohortis

(1) Anton. Augustini *Antiquitatum Dialog.* IX.

Cohortis *Anglicæ* ibi militantis a Sacris, advecta, mecum communicata est. Jam nunc ante oculos Marmor est, album, uncias decem cum semisse longum, octo et dimidiam latum; in quo Inscriptio, Literis hic, dimidio minoribus. ære *Cyprio* incisis, sic integre legenda est (2).

Dijs Manibus. Camilius Saturnalis Camiliæ Natulæ, *Patronæ merentissimæ fecit.*

Camilius Saturnalis, olim servus, at jam Libertus, utpote a *Camilia Natula* manumissus, ea de causa Patronæ, uti videtur, a qua cum Libertate Nomen accepit, grate hoc monumentum posuit.

Plurima sunt hujusmodi passim monumenta; quod ex *Grutero*, *Reinesio*, alijsq; patet. Quis autem hic *Saturnalis*, quæve hæc N*atula* fuerit, æque mihi ignotum est, ad quod ignotissimum. Habet nihilominus Inscriptio non pauca, quæ notatu digna videantur.

L Prima

(2) *Vide Tab.* IV.

Prima tantum A lineam habet transversam; reliquæ omnes *Perpendicularem*, cruribus interpositam, hunc fere in modum A; quod, Imperio ad occasum vergente, primum in usu fuisse judico. Utut illa res sit, hanc hujusce Literæ formam, alibi quam in hoc Lapide, nondum me vidisse memini. Miror eam omitti, et in *Bouterovij* et in Doctissimi *Bernardi* Alphabetis: raram igitur existimo.

E ter quater hic pro Æ: qua de re vide Commentarium in *Julij Vitalis* (3) Epitaphium. In omni hujus Inscriptionis E, lineæ tres paralelæ, a *perpendiculari* incipientes, sunt et perbreves, et inter se æquales, quod et in Epitaphio *Juliano* licet observare. Pag. 22.

Linea 4ta. In utraq; consonante L L, Lineola, cui *perpendicularis* insistit, est brevissima: hinc videtur *Rhodius* (4), ad *Scribonium Largum*, asseruisse, [*Veteres figura*

---

(3) *Pag.* 138. (4) *Pag.* 307.

figura parum diversa Literas I & L *finxisse, notissimum est.*]

PAT-RONE. De syllabæ mediæ iniqua divisione, non est ut verba faciamus; cum [*hujusmodi Errorum,* (ut ait *Dausqeius*) (5), *segetem peramplam habent veteres Inscriptiones.*]

Eadem fere *Patronæ*, atq; *Patroni* ratio. Impp. *Diocletiano* et *Maximo* A. A. sancitum est, [*neq; Patronæ tuæ obsequijs refragari te fas est* :] quam ad Legem *Gotofredus* [*ut* Patrono, *ita* Patronæ *debetur obsequium*] (6).

MERENTISSINE pro MERENTISSIMÆ. M in N μεταςοιχειῦται. (7) *Prisciani* sententia M mutatur in N; potissime C. D. T. vel Q. sequentibus: (ut in *Anceps, Eundem, Identidem, Tanquam.*) Sed, ut quod verum esse suspicor, agnoscam, Operarii hoc erratum esse judico, Literam

L 2 N,

---

(5) *Orthographicorum Vol.* I. *Pag.* 157. (6) *Cod. Lib.* VI. *Tit.* VI. *Leg.* 8. (7) *Lib.* I. *Ed. Putschian.*

N, nuperrime ſculptam, oſcitanter iterantis.

Nomen hoc eſt *Participiale* maxime in Lapidibus uſurpatum. Sic *Gruterus* (8).

REGIVS ARISTIVS PRIMITIVS ARISTIÆ FILETINI PATRONÆ BENEMERENTISSIMÆ ET REGIVS HERMES VXORI MERENTISSIMÆ. P.

Punctorum hujus Inſcriptionis incerta ratio eſt ; alia vocabulis integris ſubjiciuntur, ut in Linea 4ta ; alterum gladioli, alterum H dimidiatæ formam habens, ſic ł : tertium triangulare, in fine lineæ tertiæ, poſt ſyllabum CA· ; ſed omnino nimium.

De Folijs, quæ in Lapidibus cum Epitaphijs incidi ſolent, olim a me (9) poſt alios dictum. Hic autem obſervatu dignum eſt. Herbarum folia, quæ cum Epitaphijs, ut Humanæ imbecillitatis indicia adhibentur, non ea de cauſa hic adhiberi : hic, inquam, ubi nihil niſi animum beneficijs

---

(8) *Pag.* 932. *n.* 7. (9) *Comment. in* Julij Vitalis *Epitaphium, Pag.* 187.

obligatum, et lætitia plenum, ostendit lapis. Idem mea sententia dicendum de folijs, quæ in (10) *Longinorum* Altari, quæque in Altari, quod M. *Aurelio* (11) *Antonino* dicatum fuit, incidebantur. Hæc igitur mera ornamenta cælatoris ingenio deberi cogitandum est.

Camilii nomen a Patrona *Camilia Saturnalem*, accipisse dixi; quod *Romanorum* more factum est. Hac de re (12) *Lipsius* [*Iidem* (servi) *manumissi, in nomina Dominorum veniebant, cognomine excepto: loco cognominis vetus suum nomen retinebant*, ut *Marcus Tullius, Tyro:* Ciceronis *Libertus.*]

[*Libertas*, affirmante *Paulo*, J. C. (13) *inestimabibis res est.*] *Nihil* (14) *ea gratius servo præstari potest*] Patroni, qui servos manumiserunt, et ex justa servitute eos solverunt, quasi *Patres*, qui a morte in vitam illos

---

(10) V. Camdeni Britanniam *Anglice, pag.* 570, *a Cl.* Gibsono *editam.* (11) V. *eandem, pag.* 602. *Iterumq; pag.* 852 (12) Justi Lipsij *Tractatum peculiarem*, [De Nominibus veterum Romanorum.] *Cap.* II. (13) *D. de diversis Regulis Juris. L.* 106 (14) *D. de Fideicom. Libert. Leg.* 39.

illos revocarunt, (15) appellabantur. *Grandi hoc* Beneficio (ſic ab (16) *Ulpiano* dictum eſt) a Patrona decoratus *Saturnalis*, grati erga eam animi monumentum fecit, et marmore, omne ævum duraturo, merentiſſimæ ejus laudes celebravit.

Tanti fuit, apud *Romanos*, Libertas!

CAP.

---

(15) *Lexicon Juridicum* Joh. Calvini ; *voce* Liberti. (16) *D. de bonis Libertorum. Leg.* 1.



Cap. X.

X. *De Nomine* Vitalis.





Ntequam manum de Tabula de Nomine *Vitalij*, ut boni ominis, poſtremo loco nonnihil ſuperaddam *Vitalis* boni, &c. *VItalis* boni ominis nomen eſt, ſicut etiam *Valens*, *Valerius Valentinianus*, *Salvius*, *Statorius*, *Longinus Clemens*, *Auguſtus*, *Victor*, *Macarius*, *Conſtantinus*, *Felix*,

Felix, *Prosper*, *Fortunatus*, et istiusmodi alia: Magna *Romanis* in Nominibus eligendis superstitio fuit: magni enim momenti rebus plerumq; præerant, aut intererant homines bonis nominibus [i. e. ut ait *Lipsius*, *e quorum nominibus captari, velut augurium aliquod posset prosperitatis et diuturnitatis.*] Ita *Plinius* [*Publicis lustris, etiam nomina victimas ducentium prospera eligimus.*] Ita Leno *Plautinus*, in *Persa*, de *Lucride*. *Nomen atq; omen quantivis est pretij; si Te emam, mihi quoq; Lucridem confido fore te.*

Ita *Cicero* [*Bonis nominibus qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in dilectu Consules observant, ut primus miles fiat bono nomine.* Ita *Tacitus* [*Ingressi milites, quibus fausta nomina, felicibus ramis.*] Ita *Festus* in re vectigali [*Lacus* Lucrinus *in vectigalibus publicis primus locetur eruendus ominis boni gratia.*] Quibus rite pensitatis, mirari liceat, *Romanorum* quemquam unum *Hostilij*, *Furij*, *Curtij*, vel istiusmodi nomine mali ominis, se appellari fuisse passum. Qui quidem mos etiam in *Græcia* viguit, nam *Atheniensibus* mali ominis fuisse dicitur quod *Ni-*

Tab 111

D · M

CAMILIVS

SATVRNALIS · CA

MILIE · NATVLE · PAT

RONE MERENTISSIME

FECIT

Unc: 8¼. *Unc: 8¼.*

Unc: 10¼.



Inſcriptionem *hanc, pro* Libertate *factam*, Marmoreq; *inciſam, ſuis ſumptibus*, Æ*re etiam incidi voluit* GEO: SPEKE, *nobilis* Belga.


ςias, ὁ ἀπὸ τῆς νίκης ἔχων τοὔνομα, Imperator electus, munus hoc abnuerat. Huc facit quod a *Plutarcho* traditum est, satis urbanum : *Octavius*, aliquanto ante prælium *A..iacum*, mane egressus, ut de loco aperto Classem obtueretur, paupertino cuidam, Asinum ducenti, accessit obviam : Cui *Octavius* Quid tibi Nominis? Ille vero sciscitanti; Ἐμοὶ μὲν Εὔτυχος ὄνομα, τῷ δὲ ὄνῳ Νίκων. Propter hæc omina, cum Victoriam adipisceretur *Octavius*, Seni Asinoq; statuas ex aere fieri curavit. O factum bene!

Hæc, de Antiquitatibus nostris, hactenus.

Δόξα τῷ ἐν ὑψίστοις Θεῷ.



[illegible]




Elenchus Rerum.



Cap. I.

Annales Rerum *Britanno-Belgicarum.*



Belgæ

Ejus

Classis

CAP. II.

De *Annona Britannijs* exportata.

CAP.

CAP. III.

Julij Vitalis Epitaphium emendatius editum.

CAP. IV.

De *Julio Vitali Romano*, et de *Julij* nostri dignitate.

CAP.

CAP. V.

De *Romanorum* more ſubjiciendi Nummos, Ædificiorum, Monumentorum, Altarium Fundamentis.

CAP. VI.

De *Legionibus* Epiſtola.

Ante

* * *

Romana

CAP. VII.

Quo tempore Fides Christiana primum hanc Insulam pertigerit.

CAP. VIII.

De Aquilis Romanis, utrum ex Auro Argentove *tota* fuerint,

In

CAP. IX.

Inscriptio Taraconensis.

CAP. X.

De Nomine *Vitalis*.

Explicit Antiquitatum *Brittanno-Belgicarum* Volumen Ultimum.

FINIS.



Addenda, & corrigenda, in quatuor hisce Voluminibus.

IN Vol. 1. Pag. 35, l. 5, lege *dividebatur* :] pag. 199, l. 8. lege σορὸν. pag. 206, antepen. dele *Nathan* : pag. 26, l. ult. lege *Axbrige.* pro *Axminster.* pag. 30, l. penult. lege *Ptolemæum.* pag. 132, in margine lege 9 *Pallas.* pag. 133, in margine lege 9 *Virgo.* pag. 136, l. 1, in margine l. 2, lege *Eorum.* pag. 193, l. 16, lege *quod Tab. xi.*

In Vol. II. Prolegomena pag. 12, l. 2, lege *habeatur id.* In Capitolini Geta pag. 8, l. 23, lege *annos decem.* pag. 34, Salmasii nota pertinet ad pag. 36. pag. 46, l. penult. l. φονδῖσαι. pag. 51, l. 2, lege *Vivus.* In Dedicatione ad *Getam Brit.* l. penult. lege *sæcula.* De *Geta Brit.* ad *forma* Castoris, in l. ult. infra subscribe notam [Dio. lib. 76] pag. 5, l. 8. post *Bucephalus* l. [*Cajo suus Incitatus.*] pag. 30, post l. 17, [Vide porro Raphael Fabretti Inscriptionum Cap. X. pag. 679] pag. 32, l. 27, lege *Collegit.* pag. 38, l. ult. post *Philosopho* lege [Zosimi

lib.

lib. II] pag. 41, post *imperitum* l. 18, lege [De Commentitijs hisce Actis. vide Cl. Dodwelli Diss. de Parma Equestri Woodwordiana, e Theatro Sheldoniano, 1713, pag. 79.] pag. 50, l. 9, ad *Eruditi* nota applicetur [vide Gruteri Thes. pag. XXXII, 10,] pag. 55, l. 10, post ἐπέχειν adde [vide pag. 41.] pag. 108, l. 25, lege *evomeret*. In synopsi chron. l. xii, leg: 145, pag. 113, l. iii, leg. 898, 145, pag. 119, l. vii, lege *triumphatorem*. pag. 129, lege *Sever's Hill*, pag. 137, pro Titulo De *Geta Britannico* lege *Synopsis chronologica*.

In Vol. III. Pag. iv, L. 16, 17, lege *Diocletian*: pag vii. L. 21 pro *Rufino* lege *Osio*. In Commentario pag. 50, L. xi. lege *quod* in æs incisum. L. 16. lege *novem & viginti*. L. 23; lege *dignis, quod eam ostendat*. pag. 64, L. 12, lege Tab II; pag. 66. L. 19, l. Tab. II. pag. 76, Dele *Dum in his* &c. ad *redeo*. pag. 78. pag. 81, L. 1 pro *Principibus*, lege *Primipilus*. pag. 83, L. 9, lege *Tab. III*. pag. 100, L. 8, pro *duci* lege *dici*. pag. 107, alibiq; lege *Divitiaco*. pag. 110, dele *De Cangis* &c. ad pag. 113; quæ Vol. I. Cap. I, fusius et clarius Exhibentur. pag. 136, L. 20, post *ædificari*? lege *illo circiter tempore cum Vivius Martianus*, Legatus Hadriani Aug. *fuit per* Britanniam Prætorius. Vide Marmora Arundeliana. pag. 281. Pag. 143, L. 14, pro *quintam* lege *septimam*. pag. 178, L. 6, dele *altera* &c. ad *Tabulam* i.

In Vol IV. Pag. 5, L. 6, lege *superato*. pag. 45, L. penult. lege ἕκαστον τούτων τεία. L. ult. dele τούτων pag. 79, L. 2, lege *Vitalis*. L. 4, dele *Vitalis boni &c* L. 6, post *Valerius* addatur Comma. Pag. 81, L. 9, lege Εὔτυχος

FINIS.

